

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0602

0600

0606

0596

0611

0591

0651

0551

0701

0501

1101

0101

Ende

Anfang

29

causa quidam Sarracenus niger et seminudus in media via se posuit, et lapides in cumulum congessit, et elevatis lapidibus in peregrinorum agmen jactare minabatur, si aliquis per viam illam processerit. Ad suos autem clamores et minas totus exercitus substitit quasi ad dimidiam horam, ductores vero nostri cum eo contendebant, et contra eum clamabant, sed eos minime advertit, et contra eos, qui progredi contendebant, fortiter lapides mittebat cum magna furia. O, cogitavi, si in nostris partibus uni de minimis nobilibus istis te sic nudum in via opponeres, quam cito gladium vel sagittam in latere haberes! Sed non ita est in orientalibus illis partibus. Sunt enim orientales alterius conditionis, quam nos, vel, alia sunt apud nos regimina, aliae in eis passionis, (193 A) alii respectus rationis, alii conceptus, corpora eorum aliter sunt complexionata, et sunt ibi alii influxus siderum et alia climata, ideo pauper, inermis et nudus homo ille coegit totum exercitum redire, et reversi sumus ad longum spatium, dorsum vertentes monti Syon, quousque ad aliam viam venimus, et tunc conversi ex opposito Jerusalem venimus, habentes vallem inter nos et civitatem sanctam. Gyra vimus tamen vallem, per agrum fullonis ingressi sumus in Jerusalem, et ad officium Missae venimus in montem Syon. Protraxerant autem Fratres Officium propter nos, ut et nos interessemus divinis hoc die. Officio autem finito quilibet ad suum locum se contulit ad sumendum cibum.

Tractatus de descensu peregrinorum ad Jordanem.

Prandio peracto auditum fuit a peregrinis, quod patroni galearum disponerent se ad reducendum peregrinos ad mare in galeis, quasi peregrinatio jam esset finita. Statim autem intellexi mysterium, quia practica patronorum esset, ne nos ad Jordanem ducerent. Semper enim difficultatem et multa media excogitant, quibus peregrinos ab ista peregrinatione Jordanis avertant. Congregatis autem omnibus peregrinis in monte Syon convenimus ad patronos, rogantes, ut nos ad Jordanem ducere non recusarent, praecipue, cum contractus conventionis nostrae hoc expresse contineat in articulo X